Plurimum Reverende, Clarissime et Doctissime Vir, D. Patrue
aeternum Honorande,

Sane nunquam ita Tui desiderium in me meisque accendisti, atque ultimo tuo hoc, nimis diuturno, silentio;
et vix quidem bene sperassemus de Tua tuorumque valetudine, nisi Cognatus D. Snellius scripsisset, vos Dei
felicitate gaudere. Tanto autem gratiores nobis contigerunt tandem illae medio Novembri transmissae literae,
utpote ex quibus non modo valere Vos satis recte, sed et nostri aliorumque amicorum memores esse, percepimus.
Gaudemusque vicem vestram, quia lues apud vos minuitur. Deus nobis hactenus fuit propitius. Duae domunculae
infectae fuerunt diversis temporibus; utraque exceperat hospitem, una Amstelodamensem, altera Hamburgensem;
utraque Dei beneficio post paucos expurgata est. Deum ille et Vos et nos porro incolumes servet.
De D. Cognato nostro nihil hic percipio, et ego donec interroger taceo. Gratulabor dilectae patrueli
sicut atque antehac feci, cum perpetuo negotium ad umbilicum perductum. Tu, Rev. D. Patrue, velles
nos interesse nuptiis. Utinam possemus! Vereor autem, ne frustra id optaverimus. Ego abesse vix auseim,
Uxor autem inter liberos detinetur. Tu Elisabetam tuam ἄτοκον arguis; mea semper novos partus medi-
tatur. Cum lactat in tertiam incidit; cum desinit, concipit. Cum gerit, ut cum magna difficultate
gerit, frequenter aegritudines patitur. Tertia nostra proles aliquanto infelicior est duabus prioribus. Pri-
mam lactavit mater sine alterius ope; illa matris vires depasta est. Alteram, filiolum nempe, mater, tum
temporis lethaliter fere decumbens, alere non potuit; adhibuimus itaque rusticam, cujus copioso lacte
crevit et quadratus factus est. Tertiam tenera mater alere propriis uberibus voluit, sed non potuit; adhi-
buimus nutricem unam, alteram, deinde et tertiam; duae enim priores simulare tantum lactis suffi-
cientiam deprehensae sunt, hinc infans parum admodum profecit. Ita nos inter domestica com-
moda et incommoda, gaudia et curas tempus terimus. Interim Dei benedictione et in laboribus
et in praemiis (facile quid per ea intendam) deprehendimus. Laborem, Deo sit laus, citra taedium, ci-
tra fatigationem etiam, sustineo: Commode satis habito: salario et accidentibus (ut vocant, pars a-
salarii sunt) ita utimur, ut non modo sufficiant alendae familiae sed et quotannis aliquantulum lucremur;
certe proprias facultates non amplius impendimus, salarium enim nuper et auctum est. Verbo, familia cre-
scente abundantior quoque affluit benedictio. Tibi, Rev. D. Patrue, sub initium functionis tuarum
publicarum, ita, recte memini, prosperum non est; sed postmodum compensatione accepisti
divitem, qualem nos nobis nunquam polliceri ausimus. Demessa igitur nostro contenti vivimus. Haec,
nescio quomodo abreptus, tibi narro, quia scio, nos, te libenter audire, cum nobis bene est. Ad Lexicon
nunc venio. Laborem sane suscepisti improbum, si poetico vocabulo sine cupiditate uti liceat. Quum tamen
suscepisti, cur non eadem opera statim sub initium vocabulo Hebraico significatum Germanicum aeque
ac Latinum, quod ipsum et aliquando omittis, subjicis? uti in פָּקַד, פָּשַׁע, שָׁאַל, יְשׁוּעָה, פִּקֵּד, פָּשַׁר, שָׁגַר, שׁוּב,
ut et. in his, ita non video in reliquis statim significatum Germanicum addi; sed postmodum demum in exemplis
ex sacro Codice citatis Germanicam L. versionem allegari; et quidni propria versione addita? quam sine Lutheri pon-
dere allegasti? Quis Princeps Palatinus judicaturus sit, scire aveo. Vates non sum; hoc tamen. Providere mihi videor,
accessurum quendam alium, et falcem suam in messem tuam immissurum, et Lexicon tuum, quod satis gran-
de volumen constituet, ad manualis instar contracturum, additis unicuique vocabulo significatis Latino et Germa-
nico, citatisque paucis subinde exemplis, ex quibus formarum et temporum variationes pateant. Ejusmodi autem
manualis quinque, imo decem exempla vendi poterunt dum typographus Lexici vendat unicum. Vel igitur
ipse ejusmodi manuale pro discipulis tuis conscribe, vel Lexicon tuum contrahas, necesse est. Ignosce autem
libertati meae, et pro lubitu perge Deo propitio. Pastorum quos nominas, nullum novi praeter D. Ardenois
et Pet. van Staen: ille excitatioris, hic tardioris erant ingenii, si quid colligere ex exercitiis quae publice quae
privatim potui. Hunc dicentem nunquam audivi, credo autem stentoriam habere vocem, quod gratum solet
esse vestratibus. Precor singulis divinum auxilium, ut manera sua dextere fungantur ad gloriam Dei et aedifi-
cationem Ecclesiae. Libentissime audio, ex discipulis Tuis quosdam in locis non obscuris promoveri, et
ubique locorum amicos tibi nasci. Inimici procul dubio et essent, qui Genevae editionem summae tuae
adornari curant. Eam D. Rector Meierus aliquoties a me petiit, et ut Lugduno exemplar
sibi curem, voluit. Videbit D. Patruus, si id occasione, qua mitti queat. Sed et antehac enim mihi
rogavi Clarissimorum Leidensium Theologorum, Riveti atque Walaei opera, de qua de re nihil D.
Patruus respondit. Desiderantur illi auctores in Bibliotheca Ministerii nostri; pretium ex manu
mea recte solvetur. Tu modo operam tuam in emendis iis et transmittendis ne deneges.
Epistolam ad Romanos tui, quos nosti, sic desiderant videre. Nimius typothetae durus nectit.
Affinis noster D. Swarze antiquum obtinet, nisi quod hortum, quem solebat colere, nunc va-
stet, et nimia cura omnia sua pulchra grumpat. De Distio nostro aether militare videtur,
credo eum mox Lugdunum evocatum iri, nisi forte in Angliam ad Episcopatum. Nihil vidi
unquam ab ipso editum, nisi Disp. de Creatione, quam studiosus, et condomesticus noster,
te praeside defendit. Vellem autem scire, quomodo quis docere possit quae non didicit. Forte brevi
tempore omnia didicit ex paternis lecythis. Sed an Tu, Rev. D. Patrue, tibi metuis ab ejusmodi
Oratore? Subornes aliquem necesse est, qui patris chartas eripiat, et obmutescet. Audivi
ipsum in somniis perorantem. Initium sic habebat: Si quid est in me ingenii, quod sentio quam
sit exiguum etc: Finis erat: Dixi. Reliqua chartae hujus et epistolae modum excedunt.

B. /

D. Avunculus meus Hollenius, si quod conjicere possum, Affinem suum Harmsemium juniorem [...]
mendavit. De eo in aurem. Juvenis est forte 25 aut 26 annorum. Probus sane, sed nescio an [...]
teste tardus et vacillitans. Docet hic in Gymnasio, sed sine ullo applausu. Applausissent tu[...]
ipsi disputanti studiosi nostri, non manibus sed et pedibus, nisi Rector accessisset, et silent[...]
sistere jussisset propter classam lominum. Jo. von Höven eo die, quo mihi ep. tua reddeba[tur]
vitam cum morte commutabat. Filius, Med. D., nummos suos una cum epistola asservari cupit, donec [...]
maneret, qui auferat inde, et sibi ferat. D. Consulis Varvensis, Jo. Diderici van d. Lich, [...]
ante decendium aut circiter ad meliores quoque migravit. Septem liberos aut octo superstit[es reli]
quit. Avia adhuc vivit. Domino Jo. Henrico gratulor libertatem Academicam, eumque [...]
ut patruelem suum epistola quadam compellet. Mater nostra subinde asthmatico [...]
tur ita angitur, ut tantum non extinguatur. Tres nondum septimanae sunt, quando accurre[...]
illa, et me meamque uxorem advocaret. Sciscitantibus causam respondere non poterat, viver[et]
an jam suffocata fuerit. Quotidie igitur pie se parat ad obitum, forte repentinum. [...]
Valete montes et salvete amanter omnes et singuli a me et omnibus meis.
Dedi currente calamo Bremae, prid. Cal. Dec. st. v. 1664.

Rev. et Cl. V.

devotissimus cultor

Herm. Coccejus.

Plurimum Reverendo Clarissimo
Doctissimoque Viro, Domino Jo.
hanni Coccejo, SS. Th. Doctori,
et Professori Celeberrimo, Dn.
Patruo meo aeternum Venerando,
&c.

Leidam.

Franco op Am-
sterdam.

gift Rijpendas